

**Ad coronam medicam in Regio Parmensi Archigymnasio a Domino A.
Cocchio Placentino relatam oratio / [Michele Girardi].**

Contributors

Girardi, Michele, 1731-1797.
Cocchio Placentino, Domino A.

Publication/Creation

Parma : Reg. Typog, 1777.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c8adeydz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

AD CORONAM MEDICAM
IN REGIO PARMENSI ARCHIGYMNASIO
A DOMINO
ANTONIO COCCHIO
PLACENTINO

RELATAM

ORATIO
MICHAELIS GIRARDI
MEDICI R. PRINCIPIS

HONORARIUM

ATQUE

IN EODEM ARCHIGYMNASIO
HISTORIAE NATURALIS ET ANATOMES
PROFESSORIS PRIMARIUM

ETC.




PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHICO

CIO. MDCC. LXXVII.





Inter ceteros laudatissimos Romanorum mores non exigua, atque adeo maxima celebrandus commendatione videtur ille, quo militem spectatae virtutis ad se in honoratiorem locum receptum, tota concione inspectante, audienteque, laudare, & ad imitandum aliis proponere consueverant. Hoc mihi erga Candidatum hunc nostrum ANTONIUM COCCHIUM faciendum in praesentia video, qui illud in Medica provincia nostra scientiae specimen jam modo dedit, cujus causa tota Concione probante, Laureae insignibus docendi facultate tradita ornatus est. Audistis ipsi vos (quos enim locupletiores testes appellem?) quam promte, quam apte, quam naviter, quam strenue in praesenti certamine se

se gesserit ; unde liquido perspicere potuistis , quantum in hac arte profecerit , in qua magistrum ipsi vos illum judicio vestro renuntiastis . Hic mihi latissimum aperiri campum video ad discurrendum in praedicando ejus ingenio , in exponenda industria , sedulitate , seriaeque commentatione , quibus adminiculis ad eam laudem pervenit , quam ipsi vos in eum jam contulistis : nisi quod ita natura facti sunt homines , ut qui laudibus digniores sunt , ii laudes suas audire magis aversentur ; unde antiquissima illa extitit consuetudo in consequentem omnem aetatem propagata , ut non solum ab audiendis propriis , sed etiam a tribuendis alteri laudibus vulgo abhorrerent . Nam & ex Plutarcho (a) , & ex Euripide (b) , & ex Aristaeoneto (c) comperimus non fa-

(a) *In Symposiis lib. V. cap. VII.*

(b) *In Rheso .*

(c) *In Epist. lib. I. Epist. I.*

cile Graecos laudare consuevisse, & id si quando facerent, prius Adraſteae, quam Deam ſuperborum ultricem credebant, pacem invocabant, aut formulas quasdam ad avertendum, ut inepte, vel potius ſuperſtitioſe rebantur, faſcinum enuntiandis laudibus praemittebant. Quid Romani? Ut militaris virtutis, ac litterarum, ita & ſuperſtitionis Graecorum heredes, aliquem laudaturi, ut Graeci ἀβασχάνῳ, ita ipſi *praefiſcine* dicebant; cujus rei teſtes Plautum (a), Titinnium Poëtam (b), Charifium (c) eruditosque innumeros miſſos facio, ne vos longo ſermone morer. Ego vero praejudicatis hiſce veterum, & noſtratium quoque opinionibus, unde apparet pro malo omine laudationes haberi, minime adhaerens, praefertim cum munus hoc

(a) *In Aſinaria aët. II. ſc. ult., & in Rudente aët. II. ſc. II.*

(b) *In Setina.*

(c) *In Inſtitutionibus lib. IV.*

& laudato & laudanti molestum esse sentiam, Orationem meam ad illa potius convertam, quibus ad hunc honoris apicem viam sibi COCCHIUS studiosissimus adolescens communivit.

Is itaque non solum memor Gentis suae, cujus honestate, & egregia fama excitatus ita se gessit apud omnes, ut cujusque benevolentiam, & gratiam sibi conciliarit, sed memor etiam Patriae, cujus ex Lyceo vigente optima per Professores optimos disciplina, tamquam ex equo Trojano lectissimi, cultissimique juvenes prodeunt, cujus rei in hac ipsa clarissima arena nonnulli eximia specimina dederunt, COCCHIUS inquam, Placentinus se totum dedit in Patria studiis bonarum artium, ac laudabilium disciplinarum, ut primis annis in humanioribus litteris, poëticis, oratoriisque colendis scholae suae primores aemulatus sit; tum in philosophico curriculo non tardos opperiens praecedentibus semper institerit, quemadmodum haud leve argumen-

tum est illud mathefeos specimen quod Placentiae summo cum omnium plausu publice praebuit, quod quanti faciendum fuerit, sapientissimus Praeses noster JOSEPH CAMUTI, Augustorum Parmensium Principum Archiater, & Chymiae Professor praestantissimus, dijudicare potest, cui dicatum sacrumque voluit Candidatus noster; tandem apud Medicos professus nomen Praeceptorum suorum gloriae responderit. Neque exiguam laudem COCCHIO tribuere mihi videor, cum Praeceptorum suorum gloriae eum respondisse pronuntio qui Placentiae in Arte Medica praestant. Cui enim ignotum est quanta Illustr. Viri JOANNIS DOMINICI PESATORII Medicinae Professoris praestantissimi in doctrina medica excellentia sit? De Medica doctrina loquor, ne ceteras egregias clarissimi hominis dotes commemorando saltem extra chorum, sed in arte Medica ejus praestantia tanta est, tamque in oculis hominum posita, ut inutile opus & supervacaneum aggredi

videar manifesta probando. Haec discendi cupiditate adolescenti inflammato fuerunt ad finem propositum consequendum adjumenta maxima, quis non videt? Ea tamen proficere cupienti cuique communia. Illa vero Candidato nostro peculiarior, quae accepta refert praeclarissimo Viro CHRISTOPHORO Parenti suo optimo, qui tanto cum plausu, famaue Medicinam facit Placentiae, ut nomen non intra Placentiae fines contineatur. Hic anceps haereo, utrum magis Parentis praestantiam admirer, an filio fortunam gratuler, qui talem habuit adiutorem, ac parum abest quin dicam studiorum socium. Enim vero si uspiam, hic locum habet illud Horatii (a) *dos est magna Parentum virtus*. Quanti est illud habere domi, quem consulas ad intelligendum si quid in rerum tuarum commentatione implicatius offendas? Quanti illud praesentem habere, qui artem egregie facti-

(a) *Od. 24. lib. 3.*

tet, cujus rationem, viam, methodum servatam agnoscas? Quanti ex Parentis ore egregia illa haurire praecepta, quae ad scientiam artemque assequendam iter quamfacillime sternant? Quanti audire quotidie ex eventibus (varii sunt enim in praxi) theoreticas praeceptiones per otium, & aliud agendo explicantem? De progressu Adolescentis ad artis suae laudem hoc peculiari praesidio tendentis dici potest, quod de nobilissimi juvenis fama dixit idem Horatius (a): *Crescit occulto velut arbor aevo.*

En commostratum ad Medicam laudem iter quod Candidatus meus COCCIUS tenuit, cuique fideliter constanterque insistens, eam doctrinae supellectilem abunde sibi adscivit, quam non jam totam, sed levi ex parte pro ratione temporis, & ex praescripto, modo publice explicavit; ita tamen ut cognoscere liceat ex ungue leonem. Nimirum ipsum

(a) *Od. 12. lib. 1.*

COCCHIUM nomen inter Medicos gloriose resonat, & jampridem per totam Italiam, & ultra, tanti nominis fama pervagata est, quam permanfuram in posterum Candidati nostri portendit indoles.

Satis videor perfunctus praesenti officio, si vobis, Auditores ornatissimi, esset satis Candidatorum doctrinae mentionem in aures infundi. Vos autem in hujusmodi Adolescentibus, pro vestra religione, morum probitatem spectare soletis, eamque, si qua est, & quanta est commemorari desideratis. Quam vero probitatem morum ab eo Adolescente expectare potestis, qui in ea familia altus educatusque est, in qua vixit vigetque singularis vitae integritas? Optima primum puerilis disciplina ab optimis Parentibus hausta, exculta deinde per idoneos divinae vineae Cultores, quae, bone Deus! incrementa fecit sanctissimis propositis exemplis, & domesticis documentis? Inter quae praecipuum locum tenent, quae contemplari Candidatus noster, &

accipere potuit ab Avi fratre JOANNE BAPTISTA adhuc vivente (atque utinam ad Gentis suae decus, gaudiumque diu vivat!) Canonico praeclarissimo Examinatore Synodali antiquissimo, ac S. Salvatoris Placentiae Priore, sene veneratione dignissimo, Sacerdote religiosissimo. Verum eximium nostrum ex longaeva amabilis senis vita solatium interrumpit, heu acerba Patruī, e vivis sublata, recordatio! quae acerbitas ne mitigari quidem, nedum aboleri ex animis nostris potest. Meminimus eloquentissimi hominis dicendi vim, sacrarum rerum doctrinam, orationis suavitatem, orationis inquam flexanimae, sive in revocandis a vitiis hominibus, sive ad virtutem incitandis, meminimus; & quanta voluptate perfundebamur, cum e majoris Ecclesiae nostrae suggestu ad animarum salutem studiosissime dicentem audiremus, tanto nunc religiosissimi doctissimique viri adspectu orbatī moerore conficimur. Ereptus nobis est in medio gloriosae si-

bi, fructuosae aliis vitae curriculo, postquam concionibus sacris Quadragesimalibus Bononienses in sui admirationem non sine magno christianae virtutis fructu converterat. At quantis aerumnis confectus, quantis doloribus patientissime toleratis nobis ereptus fuerit, molestia nostra non patitur commemorare, nisi quod *acceptus erat Deo, ideo necesse fuit ut tentatio probaret illum*. Interim Candidatus noster quanta habuerat virtutum exempla, quae a Patruo sumeret! Hinc tam praeclaram domesticam disciplinam cum videam non magnopere miror, si hic magnam pietatem, morum probitatem, consuetudinis suavitatem, modestiamque praefert.

Sentio me nec volentem eo delabi, unde elabi jam ab initio sponte volueram, non tam veritus aut fascinum, aut Adrasteam, superborum vindicem, uti perperam verebantur veteres, sed ne illius turpissimi vitii, adulationis inquam, suspicionem injicerem, quod horreo pe-

jus bidentali. Praetergressus igitur merita per quae honorificentissime Candidatus Laurea donatus est, id solum illi pro choronide innuam, quantum decoris hoc sibi auspicatissimo die nactus sit quo Laureae insignibus exornatus simulque artis suae magister est renuntiatus. Neque enim recte judicantibus amisit dignitatem pristinam *Magistri* nomen, propterea quod ad homines illitteratos, vel ut summum, semidoctos non raro translatus est. Si ab ipsa origine *Magistri* nomen repetamus, principes ex omni ordine viros *Magistros* appellatos fuisse deprehendimus. Hinc *Magister Curiae*, *Magister Societatum*, *Collegiorum Magister*, *Magister Census*, *Magister Navium*, & ut omittam ceteros quibus hoc titulo donatis maximarum rerum cura incumberebat, *Magister Equitum*, quae apud Romanos secunda erat dignitas post Dictaturam: quin immo Dictator ipse *Magister Populi* dicebatur. Neque haec propterea flocci facias quod nimis alte repetita videantur

quasi cum Romano populo perierit tanti nominis honestas. Et nostris temporibus audimus *Magistrum Aulae Imperialis*, *Magistrum Admissionum* magnoque cum honore ad scholas transit tantum nomen, unde *Magister sententiarum*, *Magister decretorum*, *Magister historiae scholasticae*, alique Magistri maximi praeconio exultare, atque efferri merito potuerunt. Videat igitur quam dignitatem Candidatus noster adeptus sit, cum quinqueviri Litterarii verbis praeunte spectatissimo Episcopali Vicario ipsum Magistrum in Arte Medica declararunt. Age igitur, egregie Adolescens, quod adhuc peregisti naviter opus, constanter urge, ut si modo te praestitisti dignum, quem aliis adolescentibus imitandum proponamus (libet enim unde profecta est, eo referre Orationem) ipse in posterum te dignum aliquando praestes, quem seniores quoque sequantur.



